Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



Ast Ingonem ipsum fuisse S. Domitianum, ~~plures~~ viri eruditi consentiunt, Hansizius Germ. sac. t. II in Arnone, Reschius Annal. Sab. sec. VIII § 69. ~~Certe~~ Quorum sententiam, etsi non certam, hic tamen sequi lubet.

4) Lazius de migr. gent. l. 6, ~~apud Megiserum Chron. l. 6.~~ Domitianum in matrimonio habuisse, ait, Mariam Meraniæ Ducis filiam; cum qua Ecclesiam in Millestadio posuit. Idem testatur Othonem Abbatem Millestadiensem ~~circa annum 1286~~ Corpora SS. Domitiani et Mariæ reperisse una cum puero anonymo in eodem sarcophago; cui inscriptum fuerit epitaphium istud:

Domitianus Dux Noricorum et Carentanorum
Cum uxore Maria Meraniensi
Primus fundator hujus Ecclesiæ
Qui convertit istum populum
Ad Christianitatem ab infidelitate.

~~+Vide etiam Reichartum citatum supra Add. 3.~~

Jac. Schmidus in Ehrenglanz p. I, post hanc inventionem Monasterium flammis consumtum, ejusque in restauratione arcam inventam esse, refert, cujus alteri lateri adscriptum fuerit:

Beatus Domitianus Dux, Fundator hujus Ecclesiæ.

alteri vero:

Hæ sunt Reliquiæ Mariæ uxoris ejus.

Silv. Sistius in SS. Tirol. hæc habet: B. Maria Tyrolensis, Meraniæ Princeps, magna pietatis magistra, quæ maritum suum Domitianum Carinthiæ Ducem ad Christi fidem induxit, dotalibusque bonis vero Deo primam condidit Ecclesiam Millestadii, ubi sacra ejus, et B. mariti ossa in eodem sarcophago publicæ venerationi exposita, prodigiis et gratiis coruscant. æviternam coronam obtinuit 5 Febr. ad Annum 836. Plura vide apud Bollandum ad 5 Febr. ubi de Merania: Est porro Merania, quibusdam Maranum dicta, oppidum comitatus Tirolensis, juxtaque arcem Teriolos, unde provinciæ nomen, sita; quæ et ipsa olim primaria illius inalpini tractus civitas fuisse creditur, cujus Dynastæ Duces Meraniæ appellati, aliisque ornati principatuum titulis, qui pridem intercidere, possessionibus in varias Principum præsertim Austriacorum familias delapsis. Ex hujus Mariæ conjugis suæ dotalibus bonis monasterium Millestadii condidisse Domitianum, vult Megiserus l. 1, c. 5. Testatur Lazius in Comm. Reip. Rom. ~~refert~~ aliquis, ~~qui~~ S. Domitianum ex castro Taur oriundum fuisse ~~dicunt~~ ferunt. Idem Auctor testatur se lapidem, super quem Duces Carinthiæ investiri solent, vidisse, eique ~~incisa~~ insculpta ~~ant~~ vetustissimis literis legisse hæc verba: Dn. Dux Domit.

/ Reichartus citatus supra Add. 3.

+ Et addit Lazius: Ibi et imago eius reperta est, ducis videlicet in throno sedentis, et gladium manu tenentis. Hæc in ædicula iuxta maiorem Ecclesiam extant.

/ aliquanto

/ ~~l. 14~~ l. 12, c. 8:
fratrem S. Remidii
/ l. 12, c. 5,